



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Festum S. Mariæ ad Nives 6. August. num. 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

## FESTUM OMNIUM SANCTORUM 1. Novembris.

II. **C**UM in festo omnium Sanctorum Deipara inter Sanctos Primaria apud Deum præcipuo quodam honore colatur, ut videre est in Responsorio secundo, & hymnis ejus festi, in quibus Deiparæ memoria reliquis Sanctis præmittitur, idcirco merito Sanctus Antoninus, ut supra diximus, ad Deiparam etiam festum omnium Sanctorum spectare docuit, hinc factum est, ut in ejus festi tum vigilia, tum etiam infra octavam, (quoniam ad eam pertinet hæc solemnitas) secunda oratio, quæ in hujusmodi aliorum festorum diebus, de Beata Virgine dici consuevit, ut in orationem de sancto Spiritu omnium electorum sanctificatore commutetur: quæ enim olim solemnitas in honorem Beatæ Mariæ ad Martyres à Bonifacio IV. die 13. Maij, hæc ipsa à Gregorio item IV. omnibus Sanctis 1. Novembris decreta est.

*Sanctorum omnium festivitas quam ratione ad Deiparam pertinet.*

Hactenus Deiparæ festa, quæ ab universali Ecclesia pie coluntur, recensimus, nunc aliquot alia, quæ variis in Urbibus, Provinciis, & Regnis, vel etiam in nonnullis Religiosorum Ordinum familiis celebria sunt, breviter perstringamus.

COMPLURA DEIPARÆ  
Festa, quæ variis in locis celebrantur.RESPONSATIO DEIPARÆ  
22. Januarii in Galliis.

**F**estum Desponsationis Beatæ Virginis in Galliis die 22. Januarii celebratur studio Petri Aurati ex sacro ordine Prædicatorum, qui anno 1346. composito ejus solemnitatis officio, à Paulo III. Pontifice suppliciter contendit, ejus ut auctoritate illud liceret in Ecclesia decantari, ac sacre Desponsationis celebritatem fieri 22. Januarii, quo tempore eam factam existimabat, Anno vero 1556. Gallicanam Ecclesiam secuta est dicecesis Atrebatensis, ubi 23. Januarii hoc festum resoluatur.

*Festum Desponsationis B. Virginis.*

illud argumento est, quod eidem octava ab universali Ecclesia sit tributa ex institutione Leonis III. Pontificis, teste Siegeberto in Chron. anno 847. cujus occasio, ex Anastasio Bibliothecario, quæ ea tempestate vixit, & ex Platina in vita ejusdem Pontificis, ea fuit, quod Basiliscus, cujus halitu, & veneno multi perierant, hujus Pontificis precibus (quemadmodum uberius cap. 20. diximus) è fornice S. Lucie in Orphea fuerit expulsus in ipsa die Assumptionis, juxta Anastasium Bibliothecarium vel in octava ejusdem festi, juxta Platina, qui addit hunc diem octavæ, ut festum celebratum esse. Jejunium quoque vigiliæ eidem festo, ex Ecclesiæ præscripto præmittitur; cujus meminit Nicolaus Pontifex (qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 858.) ad consulta Bulgarorum capite 4. ubi inter cætera sanctæ Romanæ Ecclesiæ jejunia servari solita, recenset & hoc.

*Baronius  
Leo IV.  
Pont. Ana-  
stasius Bi-  
bliothec.  
Platina.*

*In Assump-  
Deiparæ  
solemnitate  
cerei qui  
accendebant  
urnam non  
consumpti  
Petrus Ab-  
bas Clun.*

Illud vero minime silentio prætereundum, quod Petrus Abbas Cluniacensis dictus venerabilis, qui S. Bernardi temporibus claruit lib. 2. de miraculis, cap. 30. tradit, cereos in æde S. Mariæ Majoris de Urbe à primis vesperis festi Assumptionis incendi solitos usque ad secundarum hanc totis 24. horis permanere continue ardentem, nihilque penitus imminutos; Et hoc, inquit, tam nobile, & ante nusquam auditum miraculum, ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignoto, vel humili loco, non in qualibet, vel quantalibet civitate, sed in ipsa Urbe orbis capite, non semel tantum, sed assidue recursum annuo divina pietas, & potentia operatur.

FESTUM S. MARIÆ AD NIVES  
6. Augusti.

*S. Mariæ  
ad Nives*

**C**elebre est miraculum Nivis, quæ Libanio summo Pontifice circa annum Domini 367. partem collis Exquilini 9. Augusti (quo tempore in Urbe maximi calores esse solent) noctu contexit; cujus rei memoria eadem die anniversaria celebritate ab universali Ecclesia colitur in loco autem nive consperso Ecclesia ædificata est, quæ nunc dicitur sancta Maria Major, cujus nos initia, progressum, atque præstantiam recensimus infra, ubi de Templis Deiparæ dicatis.